



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Andreas Ap. 30. Novembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

fauisset. Et verò qui matris oblivisci filius posset? certè oblivisci filiorum Mater hæc non potest. *Ex Surio.*

S. ANDREAS AP. 30. *Novembris.*

ANDREAM, quo D. Petrus germano gaudebat, tradit omnium primum Christi scholæ nomen dedisse; arcanorum Magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab ejus morte Scythiæ primò, mox Epiro & Thraciæ, tum Achajæ etiam intulisse; hic contra Procos: Ægeam, crucis acerrimum inimicum, fortiter rem gessisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum id respondisse: nobilius sibi sacrificium, idque quotidianum esse & incruentum; Agnum illum omnis maculæ expertem, & qui, postquam ejus carne sanguineque omnes Christiani vixissent, non minus tamen etiam ipse integer viveret; sub hæc in vincula coniectum esse, eximendum facile, nisi manus ipse Christianis, precibus suis, vinxisset; Protractum inde, ne supra magistrum primus etiam discipulus esset, virgis casum, ad crucem raptatum esse; hanc procul conspectâ amicissimè salutasse, ad hanc velut ad exoptatam vitæ metam properasse, hanc velut expetitum senio suo scipionè amplexatum esse, velut nobilissimum suggestum cupidissimè conscendisse, ab

eâ duos dies totidemq; noctes, ab ejus ore hominum millia XX. pependisse; quorum accursu cum territus Procosi detrahere eum de cruce cogitaret, AN-DREAM, id ne fieret, magnopere Deum esse precatum, ac proinde inter multum, qui precantem cinxerat, splendorem, è cruce ad cælum, Ægeam verò à malo damone, obtorto collo, ad pessimam crucem in orcum abiisse: ex tumulo denique ejus oleum stillasse, & hoc uno dolorem suum Christianos leniisse. *Ex Bar.*

S. IOSCIO C. 30. *Novembris.*

**V**T nullo non tempore suam VIRGINI nectere corollam possis, Mariane, ecce tibi rosas in hieme etiam suggerimus. Cape sis, & hortum ex quo illæ veniunt, nobiscum mirare. Vixit anno post partum virgineum M. C. LXIII. apud Audomarense IOSCIUS monachus & MARIÆ unicus amator. Amoris alia argumenta taceo, unum prodo, quod prius cælum prodidit. Igitur, ut nunquam animo dulce illud nomen MARIA excideret, quinque quotidie sibi dicendos Psalmos delegit, quibus initium optimi ominis literæ ex eodem sacrosancto nomine dederunt, *Magnificat. Ad Dominum cum tribularer. Retribue servo tuo. In convertendo. Ad te levavi. Quo-*

ties  
ocu  
fo  
qu  
rit.  
An  
tin  
rib  
sin  
no  
de  
tu  
illa  
qu  
sta  
ut  
da